

XVIII
dubl

INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JACELLONICA

INDE

A DIE 1 OCTOBRIS ANNI MDCCCXXXV

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXLI

HABENDARUM.



CRACOVIAE

TYPIS STANISLAI GIESZKOWSKI.

478573

INDEX LECTIUM

IX

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGIELLOŃSKA

1840



Za pozwoleniem Censury Rządowej.

LIBRARIUM

403358

III

1840/1841

Biblioteka Jagiellońska



1002470131

Bibl. Jagiell.
19820 KZ 675/42

CIVIBUS LITERARUM STUDIOIS

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis

RECTOR

JOSEPHUS BRODOWICZ

CUM

SENATU ACADEMICO.

Qui medio saeculo decimo septimo in Universitate nostra linguae sacrae professor ordinarius, ac non contemnendus Persii Satyrarum in vernaculam linguam translator, virtute et doctrina praeclarus fuit Martinus SŁONKOWICZ, Philosophiae Doctor; si ingenii ejus facultates nec non fata extrema spectes, dignus sane est, de cujus vita et meritis nonnulla vobiscum, Cives optimi, communicentur, quae et viris nostrae rei literariae amantibus non ingrata, et vobis, ut in studiis versemini, hortamento fore non dubitamus.

Quo tempore et ubi SŁONKOVICIUS lucem aspexerit, incertum est. RADYMIŃSKI in Annalibus Universitatis manuscriptis memoriae prodidit, eum SŁONKOVII (Słonkow) natum fuisse; sed nec loci situm addit, nec tempus notat, quo se ad altiores disciplinas addiscendas Cracoviam contule-

rit. Quumque praeterea nec in lexicis geographicis veteris Poloniae usquam Słonkow reperiatur, et in libro metrices studiosorum Universitatis nostrae MARTINI SŁONKOVICH nomen frustra quaesiveris; sub alio nomine aliquo eum inter cives academicos versatum verisimile est. Et rem quidem hanc propius consideranti apparebit, sub nomine cujusdam MARTINI NIECHROST ex dioecesi Plocensi oriundi atque a. 1632 in numerum civium Universitatis relati, nostrum SŁONKOVICIUM latere; siquidem in Pultoviensi districtu quinque numerantur villae Słonczewo dictae, quarum una vel altera successu temporis nomen Słonkow in Słonczewo mutare potuit. Utut sit, constat tamen SŁONKOVICIUM literis et optimis disciplinis aliquot annis Cracoviae studentem, tandem a. 1638 doctoris philosophiae honore auctum, a. 1644 ordini professorum facultatis philosophicae adscriptum, mox (1645) in collegium minus vocatum simulque in contubernio pauperum senioris munus administrasse; tandemque a. 1648 in collegium majus receptum, huic novae provinciae, qua philosophiae et linguae sacrae professorem, ita praefuisse, ut vel maximum ab eo ornamentum Universitas haberet.

Tota re errat JANOCIUS (*Janociana* T. III. p. 306), quum scribit SŁONKOVICIUM munificentia Joannis Casimiri, Poloniae Regis, excitatum in Universitate Cracoviensi hebraicas literas publice docuisse. Professoris enim linguae hebraicae munus jam ante a. 1637 Liebonianae foundationi originem suam debet (*Rationes Universitatis ab a. 1625—1677*). Ab hac enim pecunia in villa Wielmoża locata, 86 fl. 6 g. usura singulis annis aulario universitatis solvebatur, unde merces professori linguae hebraicae daretur; quae tandem ob imminutum monetae valorem ad 16 fl. reducta est.

SŁONKOVICIUS praeter studium linguae hebraicae, cujus *Synopsis Grammaticae* impensis Novodworscianis (*Rationes Univer. a. 1651. p. 574*) in gratiam eorum, quibus cordi est linguae sanctae notitia, publici juris fecit, in vertendis scriptoribus latinis in linguam vernaculam tempus consumebat, cujus insigne documentum habetur in Satyris Persii bis polonice

typis exscriptis, nec non in versione Juvenalis, quae tamen una cum auctore, ut infra dicitur, interiit.

Quae causa sit nimiae raritatis primae editionis ejus versionis Persii, nec non Synopseos Grammatices hebraicae, cujus editionis annum 1651 apud SIARCZYNSCIUM (*Obraz wieku Zygmunta III. T. II.*) per errorem typographicum in a. 1601 mutatum, apud CHODYNIECCIUM (*Dykcyonars uczo-nych Polaków*) perperam repetitum legimus, cognoscetis ex iis, quae RADYMIŃSKIUS in Annalibus a. 1658 adnotaverat. Quae quidem sic habent: »MARTINUS DE SŁONKOW SŁONKOWICZ nuper exdecanus Artistarum, rediens cum R. D. PAPENCOWIO rure noctu, cereo accenso neglecto, flammam autem chartis et libris corripientibus, fumo, antequam se conclavi eriperet, suffocatus, in terram prolapsus in modum crucis, expiravit. STANISLAUS CIESKI, puer admodum, suis a servitiis, clamore vociferantis domini et nomen Jesus et Maria invocantis, nec non nidore, quem ferre in atrio non poterat, excitatus, ad restinguendum fores singulorum pulsitans Dominos Collegas sero excitavit. Nam promptiores, qui accurrerant et fores effregerant, fumo vehementi repulsi, extinctum jam, pedibus, aegre admodum, foras extraxerunt. Fumo autem ex cubiculo, apertis foribus cedente, flamma vires majores et majores sumebat. Conclamatum et actum de Collegio majori videbatur, nisi Deus praepotens et Divus STANISLAUS, cujus sacer et festus dies oriebatur, nec non accurrentium hominum undique industria, labor et aquarum affusio ad horam usque duodecimam, ignem restinxisset. Omnis sua bibliotheca, *Persius polonicus impressus, Juvenalis itidem polonus praelo mandandus, Grammatica hebraica*, nec non selectiores libri, quos ad usum ex Broschianis acceperat, una cum depositis Oratorii, Contubernii Philosophorum, fisci philosophici, igni absumpta sunt. Verum omnium bonorum jacturam superat damnum facultati artistarum illatum; tres enim libri, nempe: *Metrica laborum Baccalaureorum, Metrica promotionum et pars Metricae laborum DD. Professorum in facultate philosophica labo-*

rantium, quas nondum, prout debebat, successori decano reddiderat, alii consumpti, aliorum vix titiones supersunt (*).

Vir fuit bonus et doctus, nuper Baccalaureus Theologiae et S. Floriani Canonicus creatus. Cum omni sua suppellectili, ut aere collatio funerari deberet, extinctus est. «

Idem RADIMINSKIUS de nostro SŁONKOVICIO adnotavit, eum in Italiam peregrinasse, indeque a. 1654 rediisse.

SŁONKOVICIUM longe maximo honore apud omnes fuisse, vel ex iis colligi potest, quae de eo PAULO WÜRTZIO, Suecorum gubernatori Cracoviae, dixerat ROSCZEWICZ h. t. Universitatis Rector, qui ab eo sententiam de nostro MARTINO rogatus, respondit: SŁONKOVICIUM esse vere Academicum, vere philosophum, parietibus cubiculi et libris immersum.

Sed de his hactenus. Vos vero, Cives optimi, alacri animo incumbite literis, scholisque, quas hoc anno vobis recitaturi sumus, omne studium conferte, non immemores illius ad Demonicum Isocratis admonitionis: *Κατανάλισσε τὴν ἐν τῷ βίῳ σχολὴν εἰς τὴν τῶν λόγων φιληκοῖαν· οὕτω γὰρ τὰ τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς εὐρημένα, συμβήσεται σοι ῥαδίως. Ἦγοῦ τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν εἶναι χρημάτων κρείττω. Τὰ μὲν γὰρ ταχέως ἀπολείπει, τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμέναι. Σοφία γὰρ μόνη τῶν κτήματων ἀθάνατον.* Quidquid otii dabitur, id in audiendae doctrinae studio consumito. Sic enim fiet, ut quae magnis alii laboribus invenerent, tu facile perdiscas. Audivisse multa praestare puta, quam pecuniae multum coëgissee. Nam haec facile amittitur, illa perpetuo durat. SOLIUS ENIM SAPIENTIAE POSSESSIO EST IMMORTALIS. «

(*) Horum librorum Codex diligentiarum philosophicae facultatis in Acad. Crac. professorum ab a. 1564 ad a. 1656 nec non Metrica promotionum ab a. 1572 ad a. 1655, margines ambustos habentes, in bibliotheca Universitatis adservantur.

ORDO THEOLOGORUM

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P. H. T. FACULTATIS THEOLOGICAE DECANUS.

Theologiam Pastoralem auditoribus anni tertii semestri hyemali diebus Lunae et Martis, ab hora 9—11, die Jovis, ab hora 10—11; diebus vero Veneris et Saturni, ab hora 10—12, duce Povendra, semestri aestivo iisdem horis et diebus Eloquentiam sacram duce Skidełł, Catechetica et Didacticam duce Veinkopf, tradet.

CAROLUS TELIGA

S. TH. DR. P. O. P.

Historiam ecclesiasticam et Patristicam auditoribus anni primi in utroque semestri, diebus Martis Jovis et Veneris, ab hora 10—12; diebus vero Lunae, Mercurii et Saturni, ab hora 11—12, duce Klein, explanabit.

IGNATIUS PENKA

S. TH. DR. P. O. P.

Institutiones dogmaticas, auditoribus anni secundi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 8—9, duce Klüpfel, ethicis vero auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ab hora 11—12, duce Stapf, profitebitur.

Cathedra Studii Biblici vacat.

Archaeologia et Hermeneutica auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab hora 2—3, duce Ackermann et Alber, lingua hebraica et syro-chaldaica, diebus Jovis et Veneris, per utrumque semestre, ab hora 2—3, duce Jahn et Oberleitner, semestri aestivo, Exegesis SS. Librorum Veteris Foederis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, a hora 2—3 duce Calmet, Introductio in Libros Veteris et Novi Foederis, auditoribus anni secundi, semestri hyemali diebus Lunae, Martis et Mercurii ab hora 9—10, duce Ackermann et Alber, semestri aestivo iisdem diebus et horis Exegesis Novi Foederis, nec non semestri hyemali die Saturni, a hora 2—3, lingua arabica, et semestri aestivo, eadem hora et die Exegesis sublimior tradetur.

Auditores anni primi praelectionibus Paedagogiae, anni vero secundi praelectionibus Juris Canonici, interesse tenentur; secus ascensu carebunt.

ORDO JURISCONSULTORUM

ANTONIUS MATAKIEWICZ

J. U. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS JURIDICAE DECANUS.

Leges fundamentales civitatis auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 9—10, juxta vigentia hac in re statuta ac rescripta, semestri vero aestivo jus criminale tam theoreticum, quam positivum austriacum et polonum iisdem horis exponet.—Auditoribus autem anni tertii processum civilem judicalem per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 9—10, et diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab hora 10—11, juxta obli-

gentes codices nec non eorum commentatores Jenull, Feuerbach et alios novissimos explicabit.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI

J. U. D. P. P. O.

Jus civile mercantile et processum extrajudicialem auditoribus anni tertii per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni ab h. 8—9, et diebus Lunae, Mercurii et Saturni ab hora 9—10, duce Delvincourt et Locrée praeleget.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PHIL. ET JURIS UTRIUSQUE D. P. P. O.

Historiam Juris Romani et Institutiones auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni ab h. 8—9, duce Bacchio et Heineccio, — Jus ecclesiasticum auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Veneris et Saturni ab h. 9—10 secundum suum opus, cui titulus: *Institutiones juris ecclesiastici* typis editum, Pandectas auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, ab h. 8—9, diebus vero Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10, duce Westenbergio e propriis schedis Interpretabitur.

FERDINANDUS KOJSIEWICZ

J. U. D. P. P. O.

Oeconomiam politicam, et jus naturae privatum, publicum et gentium, auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 8—9, et diebus Martis, Jovis et Saturni ab h. 9—10, duce Zeiller, Martini, Say et Skarbek; auditoribus vero an-

ni secundi per utrumque semestrē diebus Martis et Saturni ab h. 10—11.

Politiam et notitiam status rerum publicarum, juncta redditus publicos tractandi arte, duce Lotz, Rau et Schnabel, tradet.

ORDO MEDICORUM.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS MEDICAE DECANUS.

Pharmaciam diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 7—8, duce Geiger,—Chemiam generalem nec non practico-forensem, duce Berzelio, Dumas et Hünefeld, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8—9, per utrumque semestre auditoribus anni primi et secundi nec non chirurgis inferioris ordinis exponet.

ALOYSIUS ESTREICHER

PH. ET M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Historiam naturalem universalem auditoribus anni 2di Philosophiae per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 10—11,

Mineralogiam et Zoologiam auditoribus anni primi Medicinae semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 11—12, duce Berzelio, Leonhardo et Oken; semestri aestivo iisdem auditoribus Botanicam generalem et specialem duce Richard et Winkler diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 6—7, explanabit.

JOSEPHUS BRODOWICZ

M. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Pathologiam et Therapiam specialem e propriis scriptis duce Hildebrand et Reimann, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 9—10, Praxin medicam iisdem diebus ab h. 8—9, auditores anni quarti et quinti docebit.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PHIL. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Chirurgiam theoreticam generalem et specialem e propriis scriptis, duce Chelio, per utrumque semestre auditoribus anni tertii diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 11—12; Chirurgiam practicam auditoribus anni quarti per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni ab h. 10—12; Praxin chirurgicam per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 10—11, docebit.

FRIDERICUS SKOBEL

M. ET CH. D. P. P. O.

Hodegeticen medicam duce Friedlaendero auditoribus anni primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris semestri hyemali ab hora 3—4, tradet. Qua finita iisdem horis auditoribus anni tertii Pathologiam generalem praeunte Starkio per utrumque semestre exponet.

Pharmacodynamicen una cum arte formulas medicas concinnandi e propriis schedis, Therapiam generalem duce Conradio, et Diaeteticen duce Wildbergio, per utrumque semestre auditoribus anni 3tii diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8—9 explanabit.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam, duce Bock, auditores anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 10—11, Physiologiam, duce Müller, auditores anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 2—3 docebit. Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobri ad Aprilem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 9—10, et 2—3, auxiliante Adjuncto a Candidatis instituentur.

JOSEPHUS MAJER

MED. ET CHIR. D. P. P. O.

Elementa Psychologiae et Logices, Physiologiam et Pathologiam generalem, elementa Physices, Therapiam generalem et Pharmacodynamicen, Pathologiam et Therapiam specialem, Chirurgis inferioris ordinis explicabit in utroque semest. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 8—9 et 3—4; aestivo vero tempore iisdem, nec non auditoribus medicinae anni tertii diebus Lunae, et Jovis ab h. 3—4. Veterinariam generalem et doctrinam de morbis epizooticis et contagiosis, praeunte Wagenfeldio tradet.

FRIDERICUS HECHELL

M. ET CHIR. D. P. P. O.

Historiam Medicinae et Chirurgiae ducibus Sprengel et Hecker auditoribus anni quinti utroque semestri diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 2—3, iisdem semestri hyemali medicinam forensem duce Henke, aestivo vero politiam medicam ducibus Bernt et

Niemann, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12 tradet.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Theoriam artis obstetriciae auditoribus anni 3tii nec non feminis artem obstetr. discentibus semestri hyemali, ducibus Froriep et Carus, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10, — doctrinam de morbis feminarum duce Joerg auditoribus anni quinti semestri hyemali diebus Martis et Jovis ab h. 3—4, iisdem vero horis semestri aestivo de morbis infantum ducibus Henke et Wendt exponet. — Praxin artis obstetriciae, auxiliante Adjuncto, auditores anni quinti nec non feminas arti obstetr. vacantes docebit per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni ab h. 7—8.

ORDO PHILOSOPHORUM.

MICHAËL WISZNIEWSKI

PHIL. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS PHILOSOPHICAE DECANUS.

Historiam universalem auditoribus anni 1mi diebus Jovis, Veneris et Saturni ab h. 11—12, auditoribus vero anni 2di diebus Lunae, Martis et Mercurii ab h. 11—12; Historiam literariam universalem duce Wachler, auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab h. 3—4 tradet.

CAROLUS HUBE

PH. D. P. P. O.

Arithmeticam et Algebram auditoribus anni primi semestri hyem. diebus Lu-

nae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris ab hora 9—10, et Saturni ab h. 10—11, semestri vero aestivo iisdem horis Geometriam, Stereometriam, Trigonometriam et Sectiones conicas explicabit.

JOSEPHUS JANKOWSKI

PH. ET J. U. D. P. P. O.

Psychologiam auditoribus anni 1mi semest. hyem. diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 8—9.

Ethicam auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Veneris ab hora 8—9.

Historiam philosophiae auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Veneris ab hora 9—10 tradet.

MAXIMILIANUS WEISSE

PHIL. ET U. J. D. P. P. O. OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Matheseos sublimioris cursum secundum per utrumque semestre diebus Lunae et Veneris ab hora 10—11, diebus vero Mercurii ab hora 2—4 duce Burg, Ettingshausen et Poisson tradet.

Astronomiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 11—12, duce Sartini et Littrow docebit.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Profitebitur octies per hebdomadem literas latinas et polonicas: et auditoribus quidem anni secundi tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni hora matut. 8—9; auditoribus anni primi semestri aestivo iisdem diebus h. mat. 7—8, sem. vero hiberno diebus Martis et Jovis h. 8—9 mat., et diebus Martis et Saturni h. 2—3 pomeridiana.

FRANCISCUS XAV. STACHOWSKI

S. THEOL. ET PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam religionis auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii ab h. 10—11; auditoribus vero anni 2di diebus Martis et Jovis ab h. 10—11.

Paedagogiam auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Veneris et Saturni ab h. 3—4.

Linguam Graecam iisdem per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii ab h. 3—4 tradet.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PHIL. D. BIBLIOGRAPHIAE P. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam auditoribus anni secundi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 3—4 profitebitur.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam physices auditoribus anni 2di per utrumque semestre quotidie ab h. 2—3, nec non diebus Lunae, Mercurii et Saturni semestri hierno ab h. 9—10, semestri vero aestivo ab h. 7—8 exponet.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PHIL. D. OBSERV. ASTRON. ADJUNCTUS.

Matheseos sublimioris cursum priorem auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Mercurii ab h. 3—4 et diebus Saturni ab h. 10—11 tradet.

Linguam Germanicam Augustus Otremba per utrumque semestre diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab h. 3—5,

Linguam Gallicam Franciscus Aubertin quotidie ab hora 11—12,
Linguam Rossicam Hieronymus Mecherzyński iisdem diebus ab hora 2—3,
docebunt.

Lectorium in Bibliotheca publica Universitatis semestri hyemali quotidie,
exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12.
et 3—6,

Observatorium Astronomicum horis 3—6. diebus Jovis et Solis,

Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12,

Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12,

Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab h. 1—4 tempore
hyemali, aestivo vero ab hora 3—6,

Hortus Botanicus quotidie, patebunt. Hospitibus vero extraneis, qui Musea
Biblioth. et Observat. invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dum-
modo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.

